

A
8



caja 2 A=9 C=5

caja
CINISA 5

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA	
— GRANADA —	
Se's	caja 2
Estancie	
Número	8

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, which is mostly illegible due to fading.

COPIES
of

COPIES
of

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely from the 18th or 19th century. The text is mostly obscured by fading and bleed-through from the reverse side of the page.]



ASSERTIONES PHILOSOPHICAE, ET MEDICAE RECITATIVE PROPOSITAE circa corpora quæ condita fuissent cum perfectionibus intrinsicis originariæ iustitiæ.



O PINIO S. Thomæ in 3. Genes. Alberti Magni in 2. dist. 20. & tractatu 13. summæ Theologicæ q. 78. & plurium sanctorum Patrum dicentium non fore in statu innocentie ex alimento, & potu excrementorum immunditiam, sed eam esse inuentam pro pœna hereditarij peccati, quadrat ijs legibus Philosophiæ. Prima, propter perfectionem summâ potentiarum, & constantissimam facultatum interiorum harmoniam cum speciali directione animæ, & propter temperatiam in sumendo cibo, si non totum alimentum commutari valebat in statu innocentie, saltem poterat coqui, & conuerteri in substantiam chyli, vel ita scindi, conteri, & attenuari, vt quod ineptum esset ad conuersionem resolveretur insensibiliter, aut à facultate expultrice mitteretur ad aluum, vbi propter tenuiorem, & paruum irritationem maneret, donec per calorem insensibiliter euaporaretur. Qui lex integris mensibus laute quotidie comedentes, & bibentes in nauigationibus occidentalibus, nulla emittunt crassa, & fœtida excrementa toto illo tempore, ostendunt, quid fieri posset pro longiori spacio ante primæuum peccatum, & succurrunt experimenta similia non pauca. Secunda, nihil tam terreum in consuetis alimentis, quam pars illa ferri, quæ à calidissimo strutionis ventre, & pars illa paruorum lapidum, quæ à columbis, & pars illa terræ, quæ à frigidissimis serpentibus, Genes. 3. Isai. 65. Micheæ. 7. conuertitur in substantiam viuientis, ergo mirum videri non debet, quod ait S. Thomas forte omnes partes alimenti in paradyso conuertendas in substantiam hominis. Tertia, necessitas excrementorum, vel est ex impotentia agentis, quæ in paradyso non esset cum potentia forent validissima; vel ex resistantia formali passio, quæ si vinci non posset insensibiliter expelleretur: nihil enim maneret ex alimento, quod tenue non esset, & quod per venas mesaraicas permeare non posset ad iecur, ac ideo non esset necessarius transitus ad intestina. Quarta, non est propria passio animalium a se habere excrementa, sed potentia dumtaxat illa habendi, cum animalia plura voracissima, nec excrementa habeant, nec viam quæ emittant, vt de nonnullis speciebus animalium referunt Gesnerus lib. 4. de aquatilibus, Rondeletius lib. de insectis, & zoophitis, quos sectatur Vlysses Aldrobandus tractans de stellis marinis: sequestratio excrementorum ex accidenti est, & non fit peculiari actione viuientis intendente illa, sicut nec faber intedit superflua rameta, aut scissuras, quæ ex artificioso opere resultant. Quinta, spinther idest musculus deseruiens ad expulsionem excrementorum, ex cibo, & potu, præter motum contractionis versus vnâ positionem, habet alios versus alias medijs fibris, quarum ministerio non mittens ad intestina, quod superfluum est cibi, posset illud insensibiliter versus aliam positionem expellere in statu naturæ integræ, cum in lapsa sæpè humores frigidus viscosos, crassos, & terreos, aut per sudorem, aut per insensibilem halitum euanescere constet, præcipuè in morbis puerorum, vt ait Galenus 3. prognost. Sexta, dato quod in statu innocentie essent excrementa, non tamen fœtida, aut spurca fore arbitrantur nonnulli, cum fœtor, ex Galeno 3. aphorism. com. 26. ex mala coctione oriatur, quæ in paradyso non esset: præterea fœtor iuxta Galenum 1. prognost. com. vltimo & lib. 5. de simpl. medic. facult. cap. 40. & Valles. 4. meteor. cap. 1. semper putrefactionem sequitur, quæ in paradyso non contingeret. Tandem fœtor prouenit ex humido non regulato cum calido, iuxta Veigam super Gal. 1. de differentijs febrium sect. 2. fol. 524. at in statu innocentie nihil esset non perfectissimè regulatum: sic defenditur D. Tho. dicens, quod etiam si essent excrementa possent esse odorifera. Hinc habetur quid dicere queant existimantes corpora Mariæ, & Iesu in iustitiæ originariæ perfectionibus intrinsicis fuisse condita. ¶ Existimamus cū Menna lib. de septimestri partu textu 14. & Garzia Carriero in 1. Auicem. disp. 38. q. 2. & Toletio 2. de anima q. 7. & alijs primam animam informantem in homine esse rationalem: illam verò introduci die septimo à conjunctione parentum. Huius dilationis tota ratio se tenet ex parte principij efficientis non habentis vigorem ad celeriore productionem circa materiam sanguinis crudam, impuram, rebellem, & immaturam. Quod si daretur sanguis purus in summo omnium possibilitate naturæ, & facultas formatiua robusta, & efficax in summo, breuiori multo spacio humanus fœtus animaretur. Hoc principio innititur opinio Hieronymi de Oleastro in 3. Genes. Gabrielis Bareleta, & Iacobi de Voragine in sermonibus de Purificatione, & aliorum plurium eiusdem instituti Prædicatorij statuens in pœnam originarij peccati esse diu corpus sine anima rationali, quod ante peccatum non contingeret: nam si in natura lapsa semen, aut sanguis animatur septima die, in statu innocentie animaretur eadem die qua reciperetur, cum abessent cruditas materiæ, & debilitas formatiue virtutis, & cætera impedimenta, quæ nunc ad septimum vsque diem remorantur ingressum animæ rationalis. Id circo cum Ecclesia existimet Mariam in iustitiæ originariæ conditam celebrat ipsius animationem, & conceptionem octaua Decembris die: subscribunt Amadeus, Granados, & Malla, alijque non pauci: & dicere tenentur quotquot Mariam ex purissimis elementis, vt ait sancta Brigitta, & ex immaculato semine, vt ait Damascenus formatam arbitrantur, simulque validissimam formatiuam virtutem communicatam fuisse Annæ, & Ioachimo defendunt, aut quod illis deerat ex cœlestibus influxibus fuisse suppletum: & inuât S. Vinc. serm. de S. Anna dicens, Mariam sanctam, & benedictam idest cum sanctitate, & gratia, & consequenter cum anima fuisse in visceribus maternis nobem mensibus. ¶ Quidquid substantiæ comitatur primam animam introductionem totum integrè à Parentibus desumitur. Aliquid de accidentali perfectione non continetur formalitèr, nec virtute in ipsis, sed accipitur ab influentijs cœlestibus, quæ id in fœtu producant, quod Parentes communicare non queunt. Sic ex debilibus, & agorantibus, & vitiosis generatur sæpè valida, & sanâ soboles. Robur autem quod apparet in facultatibus

ministrantibus, & ministratis, attrahente, rentrice, coctrice, expultrice, nutritiua, & augmentatiua foetus à vitiosis, & infirmis partibus profecti, maximè prouenit à cœlestibus influxibus præbetibus facultates, ita robustas supra captum agrotantium, & cacochymicorum Parentum, à quibus nutritionem tantæ magnitudinis intra nouem menses, & selectionem adeò exquisitam pro attrahendo purissimo sanguine mutuari non potuit, aut recipere filius. Ijs principijs innixi declarant non pauci qua ratione ex senilibus corporibus Annæ, & Ioachimi Maria habuerit complexionem robustissimam; & Anna pro laetanda Maria efficacissimum lac; & ipsa Deipara ab Ecclesia dicatur habuisse vbera de cœlo plena. Totum opusculum 34. D. Thom. de occultis operibus naturæ arcanas, & validas specierum, & indiuiduorum proprietates sicut in altiora principia refert ad corpora cœlestia, & vterius in substantias separatas intellectuales, vt quod sapphirus sanguinè constringat, &c. ¶ Propter opinionem Plinij, Anaxagoræ, & aliorum, quos sequuntur Vincentius lib. 21. speculi naturalis cap. 31. & lib. 28. cap. 74. & Cornelius Gemma lib. Cos met cap. 6. Holerius, Andreas Laurentius, & alij, & propter experientias de hominibus perfectissimis, qui vesica fellis caruerunt, dubitant aliqui an ea in statu innocentia futura esset, cum ibi esse non posset sanguis pessimus cuius ipsa est receptaculum. Idem proponunt de lyene qui ex Aristotele, quem sectatur Vincentius supra lib. 21. cap. 30. est in hominibus accidentaliter ad recipiendas superfluitates melancholicas, præsertim cum natura possit detrudere fœculentum sanguinem absque lienis opera ad ventriculum per duplicia venarum germina, quæ illuc dilabuntur. Integrum lyenem frequenter abscindi in regionibus Turcarum, ait Falopius lib. de vulneribus cap. 12. & Schenchrius lib. 3. obseru. medic. cap. de lyene. Nos verius arbitramur hæc receptacula, & quæcumque alia nunc sunt in humano corpore fore in statu innocentia, siue quia de integritate compositi, siue quia de illius ornatu essent, quamquam vacua, & libera à superfluitatibus, quemadmodum in non multum dissimili casu ex D. August. loquitur D. Thom. 3. p. q. 54. art. 2. de felle Christi Domini. Denique venæ, & arteriæ, emulgentes, & renes, & vteræ in paradyso instrumenta essent ad expellenda excrementa si forent; quemadmodum in Ioanne Baptista fuerunt vasa præparantia, & deferentia, quamuis vt ait sancta Brigitta, *nunquã feminarius humor de corpore eius exierit.* ¶ Quod cõmunis Theologorũ opinio cũ D. Tho. in 2. dist. 20. Alberto ibidem, & alijs, sudorem neget futurum in statu innocentia; supponit nec ibidem madorem futurum cum tantum secundum magis, & minus à sudore differat. Quod si aqueitas, seu materia sudoris, & madoris cum difficilior sit coctũ quam alimentum nihilominus vincebatur, vt nihil superesset, quod vel non exactè digeretur, vel non insensibiliter euanesceret, idem à fortiori de alimento dicendum erit; nihil scilicet ex illo pro excrementis remansurum. Materiam sudoris arbitramur difficiliorẽ esse coctũ, tum quia aqueitas illa inuicta, & intacta superfuit à coctione ventriculi, & hepatis, quod esset coctũ difficilior propter peculiarem frigiditatem conformiorem elemento aquæ, à qua fuit desumpta; tum quod melius vincitur, attenuatur, & resoluitur pars crassa alimenti cum superficialis sit, & rectè iuxta posita; tum propter alia fundamenta. Cum de sudore Christi in Getsemani Caietanus, Medina, Suarius, & alij idè arbitrentur sanguineũ fuisse quia aquosa illi superfluitas omnino deesset, pleræque ex recitatiuè hætenus propositis assertiuè tuebuntur. ¶ Necessè nõ erat in paradyso, vt pars crassa, & humida potus separaretur in hepate pro vrina, verum ita reddebatur subtilis, & tenuis, vt cum massa sanguinaria sparsa veluti ipsius vehiculum, finito hoc munere præ tenuitate, insensibiliter resolveretur. Quod autem necessè non sit, vt semper in hepate pars serosa per vrinam separaretur, docent Peramatus lib. de humoribus cap. 35. & Alexander Aphrodisius lib. 4. problem. 111. exemplo volucrum quæ bibunt, & tamen vrinam non emittunt, vt comprobatur experientia allata à Petro Hispano lib. vrinarũ super Isaac fol. 158. & à Vincentio lib. 22. speculi naturalis c. 1. ¶ Qui cum Oleastro in 3. Genesis dicunt in statu innocentia eundem fore diem conceptus, & partus; id est eodem die animandum fœtum, & nasciturum, statuere debent breuissimo tempore sobolem habituram eam magnitudinem, quæ ad natiuitatem sufficeret, ita vt quemadmodum per iuxta positionem in ictu oculi spumæ copia ingens accrescit, & prægrande nubis corpus apparet, sic per intus sumptionem tantum fœtus vno die cresceret, vt vel pro euitanda angustia vteri, & defectu alimenti, & ventilationis, vel quod verius est pro maturitate oriretur. Similitèr statuere debent materiam abundantiam in matre, & nullam fere resistentiã in alimento, & potentissimas facultates, quibus sanguinem vberimum, & purissimum fœtus attraheret, tam celeri tempore per intus sumptionem habituram sobolem prædictum incrementum: at semel nata ad debitam staturam aduentu quotidiani alimenti, & conuersione in propriam substantiam perueniret. Hæc dicere tenentur quotquot aiunt quidquid intrinsicum debetur fœtui id comparatum in statu naturæ integræ, eodem die à paterni seminis receptione in materna vulua. Licet Christus Deus, & Maria multo perfectiora corpora habuerint in prima conceptione, quam essent infantibus paradyfi in ortu extra vterum, nihilominus considerato aggregato omnium circumstantiarum cum decreto Dei, naturale fuit vt nouem mensibus gestarentur in maternis visceribus. Ex decreto inquam Dei quo statuit retardari horum sanctissimorum corporum incrementum, & natiuitatem propter peculiarem naturalem legem ipsis latam; nam & nobis debebant assimilari in ijs, quæ indecentiã non importarent. ¶ Ex prædictis intelligitur opinio illa, quæ cum varias ætates vulgares concedat hominibus in paradyso futuris, negat ætates perfectissimas infantia, pueritia, & adolescentia Philosophicè, & Medicè consideratas: nam vbi nihil esset crudum, nulla resistentia materiæ, nulla facultatum debilitas, nullum obstaculum, quod impediret productionem temperamenti naturalis perfectissimi, seu quod idem est productionem perfectissimæ ætatis, esse non poterant ætates perfectiæ in sensu Philosophico, & Medico; vt ex docto, & singulari tractatu de essentia ætatum Michaelis Barredæ Primarij Complutensis innotescit: quæ singularitèr illustrantur pro Iesu illis verbis S. Bonauentura in 3. dist. 12. *Ita pura fuit caro Christi sicut si de cœlesti substantia sumpta fuisset, dist. 3. dixerat. Ab instanti conceptionis vir fuerat ita perfectus, quod proficere nunquam potuit.*

Quod scripserit Mendocã 1. Reg. 1. n. 22. ex Cart. huf. Dionij. Saulem in ætate infantili vires ad ministrandum diuinitus accepisse; quod Bonifacius 9. in Bulla canonizationis S. Brigittæ, ait ipsam triennè nõ balbutiendo

ciēdo cōpleta, & formata verba in posterū edidisse cū annis tribus fuisset elinguis, ostēdit faciilius fuisse, supposita corporis, & tēperamenti puritate, & perfectione summa Deiparæ à primordijs, vt quindecim gradus templi celeriter percurrent cum necdum viginti septem menses ætatis suæ cōpleuisset.

Quod idem scripsit Mendoça 1. Regum 2. num. 19. in expositione litteræ se&atus Euthymium, Salmeronem, Maldonatū, & Barradas de tunica inconfutuli Iesu à Virgine contexta; eam scilicet nunquam ab infantia, vsque ad flagellationem Pilati à diuino corpore separatam, sed illo crescente creuisse, vt accidit vestimentis puerorum Hebræorum in quadragenario annorum numero peregrinationis Pharan, declaratur ex dictis fieri potuisse, ita vt nullas sordes contraxerit. Sexta Synodus a&t. 11. dicit: *Corpus Iesu irreprehensibilibus subiectum ægrimonijs, & huic quæ natura sua decenter conueniebant pati, atque patrare indulgit, & iterum ibidem: Verè nostra agens opera, & passiones naturales, atque irreprehensibiles, quæ procul à macula, atque pollutione sunt, & in quibus cuiuspiam peccati vestigium non reperitur, at immunditia excrementorum, ipsorum fætor, ortus sordidus, ægritudines Medicæ, quæ à paradyso exulabant, vestigium peccati sunt; maculæ sunt; & à reprehensibilibus initijs primæui peccati deriuatæ, vt aiunt nonnulli, ex S. Thoma, Alberto, & alijs quos allegamus sine assertione.*

Quod nouum Ecclesiæ Græcæ Breviarium in festo Præsentationis Mariam nominet, *corpore trienem, & spiritu annosam*, quod in templo ex Andræa Cretenfi, *communem cibum non sumeret*, & ex Germano, & Georgio Nicomedienfi, *Ambrosiam nutrimentum per Angelum acciperet*, & ex prædicto Breviario in eodem festo: *Gabriel cibum purissimum illi deferret, & in vigilia festi: Cibum cœlesti nutrire*, & iterum: *Cibus cœlestis ipsi emitteretur, & iterum: Gabriel te in templo nutrit*, aperte declarat ex purissimis, selectissimis, & potentissimis alimentis singulare robur, & perfectionem temperamenti, & illustrissimas qualitates recipere potuisse Mariam, præter supremas illas dotes primordiales, quibus sanctum corpus in prima formatione ditatum fuit.

Quod Pius V. festum Præsentationis abstulerit à Breviario Romano non propterea fuit, quia existimaret incredibile, vt Maria in sanctis sanctorum habitaret annis pluribus, cum hoc ipsum Clemens VIII. recitandum indulserit Ecclesiæ Græcæ in vigilia Præsentationis; neque quia fabulosum arbitrareretur celerem illum cursum puellæ per gradus quindecim; neque quia impossibile iudicaret, vt diutius Maria esse potuerit in sanctis propter ea, quæ ex necessitate cibi, & potus ad deferendum illum locum obligarent; neque quia crederet sancta sanctorum summo tantum Sacerdoti patere, cū ex diuinis literis constet tabernaculum Moysis continens sancta sanctorum primitiua, absconditum esse à tempore Ieremiæ, & in Mariæ sæculo solum perseuerasse imaginem quamdam, vel similitudinem illius sanctuarij: abstulit igitur Pius V. Præsentationis festum sicut, & alia non pauca, vt Dominicalia, & Ferialia officia non diminuerentur.

S. Tho. 1. p. q. 99. & iterum in 2. dist. 20. cum Bon. Dur. Aegid. Gabriele, Ricardo, Brulefo, & alijs ibidem, & cū Viguerio cap. 18. §. 4. tractant an ex miraculo, vel ex prouidentia extraordinaria Dei, vel ex aliqua violentia, vel ex apprehensione generantis fieret, vt in paradyso fœminæ producerentur cum nihil ibi esset in materia generationis rebelle, aut crudum, aut morbosum, aut infirmum, de quibus latè Suarius 5. de opere sex dierum c. 3. Dubium est illud Vincen. lib. 22. speculi naturalis 37. & lib. 3. r. c. 36. quod hæc varietas sexuum ex situ fœtus in dextra, aut sinistra proueniret, vel ex cognitione horæ, loci, & venti. Cum Maria iuxta Damascenū ex immaculato semine formata sit; & iuxta S. Brigittam ex purissimis, & clarissimis elementis sine rebellione, cruditate, aut languore, eadem est ratio tractandi, quamquam superior debet esse, & dignior modus definiendi.

Quod communior Scholasticorum sententia cum Alberto in 2. dist. 20. menstruos sanguines fœminis paradyfi deneget; quod communior interpretum scripturæ mens, & Theologorum consensus cū D. Tho. 3. p. q. 37. art. 4. menstruum fluxum pro quo purificari Maria deberet non agnoscat, ad priuilegia intrinseca originariæ iustitiæ in corpore reduceadum est. Sic intelliges Vincent. lib. 22. speculi naturalis c. 53. *Fluxus aut sanguinis non manifestatur in alijs animantibus.* Si quod ait Palacios in 3. dist. 4. ex Arist. *Menstruū sanguis est impurus*, quæ dicta sunt facilius defenduntur. ¶ Qui originariū peccatum, & debitum proximum subiectiuum illius alligant libidinosæ parætum copulæ cum Magistro in 2. dist. 3. r. Bonau. & alijs ibid. Holcoth de imputabilitate peccati. Beda tom. 8. lib. quæst. q. 14. & qui idem originarium peccatum, & debitum proximum subiectiuū illius alligant qualitati corporæ morbide cum Gregorio in 2. dist. 30. & Aug. 6. contra Iulianū c. 7. & pluribus alijs Scholasticis; & qui similes alligationes eiusdē peccati, & debiti consignarunt ex alijs capitibus, ij quidem si Mariam dicāt absq; libidine Parentū conceptā, vt dixere S. Brigitta, Galatinus, Carthuf. & alij, aut sine qualitate morbida corporali, vt pleriq; fatentur, aut sine alijs circumstantijs, & conditionibus quibus adnectunt influxū debiti peccati; ij quidē omnes dicere tenentur ex consequenti Mariā sine peccato originario, aut debito proximo illius cōceptam fuisse: imò facta suppositione absentia libidinis, aut morbide qualitatis, aut similibus conditionum non potuisse prædicto debito subiectiuo idest proximo, de potentia absoluta grauari.

Quotquot dicunt Iesum, & Mariam perfectiora multo habuisse corpora quam Adam, & Eua ante peccatum, ij etiam omnes iustitiam originariam cum dotibus intrinsecis deferunt ipsis. Sic Gerson. tract. 5. in Magnificat. *In Maria fuit status naturæ integræ primitus institutæ*, & tract. 4. similia dixerat. Similiter Palacios in 3. dist. 3. disp. 1. allegans Fabrum, & Maiorem, & alios; & addit Sophroniū in sua synodica stabilire originale iustitiā Virginis. Subscribit Carthagenā lib. 5. homil. 6. Scotus in 3. dist. 16. vbi repugnare videtur expressè subscribit. Verba illius sunt: *Secundum corpus Christus non habuit iustitiam originalem præseruantem à corruptione*, verum cum paulo post addat idem se dicentū



de Adamo, si vteretur nostris alimentis, planè iudicat extrinsecos solum effectus originariæ iustitiæ, idest alimenta, & singularem Angelorum gubernationem pro repellendis molestijs defuisse Christo.

Quod plures cum Diuo Anselmo serm. de Assumptione, qui incipit eminenter, & refertur à Paludano in 3. dist. 3. q. 3. dicant, Mariam esse Matripatrem Iesu, & vt magis explicat Ansel. *quod tantum fecit ad filium suum sicut pater, & mater faciunt in productione prolis*, ita intelligendū est, vt Spiritus sanctus suppleuerit absentiam viri comunicata diuinitus virtute creata, quæ immediatè operaretur effectum, at in Spiritus sancti nomine; qua ratione Spiritus sanctus non se habuisset sicuti auus, vt docet Paludanus supra, sed veluti pater.

Partes carnosæ, cartilagineæ, ossæ, & similes, quæ in primordijs vitæ accipiuntur, nec deuariari, nec minui possunt per natiuū calorem quo informatur, nec per eum qui à natura proximis membris inhæret; tū quod calor se solo sine adiunctis operetur, passum verò aggregatis frigiditate, humiditate, siccitate, densitate, & cæteris qualitatibus munitus potentius resistat; tum quod ipse calor vsque ad ætatem consistentē augendis ossibus, carnibus, musculis, nervis, & reliquis intentus non possit resolutionē, & euerisionē proprii cōpositi machinari. Sic verissimè opinari licet cum grauioribus omnium Scholarū Theologis, tempore mortis Christi nihil omnino fuisse deperditū à Iesu ex ossibus, & carnis partibus à materno sanguine, & lacte acceptis, aut nutritis; quamquam propter ambiēs extrinsecum, & iuxta posita aliquid ex ijs amissum sit.


Omnes reëtrices facultates, seu interni sensus possunt in vno indiuiduo humano summā, & supremam habere perfectionē, non solū si in diuersis cerebri partibus realiter distinctæ prædictæ potētiae, verum etiā si omnes, & singulæ reperiantur in qualibet eiusdem cerebri parte. Fieri potest, vt eadem facultas in vno loco vigeat in summo quoad vnā speciē actus, & in alio quoad aliam valde dissimilē, ita vt iuxta peculiare sinus, & regiones, summū, & supremū habeāt principatū singulæ reëtrices facultates, vel singulæ species eiusdem reëtrici diuersa tēperamenta postulantes. Atq; hæc quidē dicimus de Iesu, & Maria pro ipsorum dignitate.

Non expedit dicere cum Caiet. 3. p. q. 35. art. 6. & alijs eiusdem affectis Angelos in mirabili partu Virginis excrementosa mundasse, cū ex cōmuniore sensu Patrum nihil ibi excrementosum admittendum sit. Qui ritum originariæ iustitiæ in eo puerperio concedunt, similiter statuēt nulla fuisse inquinamenta naturæ nouem illis mensibus ante ortū Iesu, vt ait Nazianz. orat. 40. cuius mentē expressere alij Patres, sed præcipuè Zeno serm. 3. de Natiu. illis verbis: *Non filius suis, aut matris est vllis sordibus delibutus, neq; enim reuera aliquid circa se habere potuit immundū*. Similia habet S. Eligius serm. de Purific. An verò ex consequenti Mariæ, & Iesu simile priuilegiū concedendū sit in residuo vitæ, sicut de statu innocentiae autumant Scholastici, disputant alij. Ex antiquis solus Anastas. Sinaita, libro cui titulus *via dux* expressè admisit in corpore Iesu dictas superfluitates excibo, & potu.

Alimentū fœtus est maternus sanguis. Prima coctio quæ elaboratur in stomacho, & secunda quæ in hepate absunt à pueris ante natiuitatem: vltima solum coctio vtuntur, qua sanguis in substantiā aliti conuertitur. Licet autem maternus sanguis per hepar transeat infantis, non ibi formam substantialem amittit, sed accidentalem dumtaxat recipit, vt tenero fœtui magis adaptetur. Id circo omnis chylicatio, & sanguificatio puero ante ortum denegatur cum Andræa Laurentio lib. 8. c. 7. q. 24. ex Hippocrate, & cum Realdo Columbo lib. 12. traçt. de formatione fœtus fol. 460. Peramato lib. de hominis procreatione c. 3. & 16. Sic constat vniuersum sanguinem quem Iesus extraxit in ipso ortu, sub eadem numero forma substantiali fuisse in venis matris, licet cum diuerso supposito.

Fœtus domicilium tempore breuissimo ante ipsius productionem ornat natura, vt cōmuniter habetur triplici tegumēto (quod Latini secundas, aut secundinas appellant.) Primū est chorion, seu carnea substantia fungosa, & lienis modo nigricans, quæ ex vtero excipit vasa; idest ductus alimenti pro puero. Secundū tegumentū est tunica allantoides, inter quā, & agninā, seu amnios (quæ est immediata puero) seruatur serofus humor, seu vrina fœtus à vase vracos dicto in talem locum effusa: at inter amnios, & ipsum puerū sudor eiusdem seruatur, vnde in illo loco innatat secundū Aristotelē, idest facile propter loci placiditatē mouetur vndequaque. Ex ipso Philosopho 7. de historia animaliu c. 7. duæ tantū sunt secundinæ, quod etiam absolutē in auiibus proferendum, quibus deficit vrina ex propria natura, & quibus consequenter non est necessaria secundina, quæ sit receptaculum vrinæ, & hæc quidem in natura lapsa, nam quod ait Vincent. lib. 3. speculi moralis par. 3. dist. 11. *Pœna peccati est vt concipiat mulier cū immunditia, & foetore*. In statu innocentiae cū non esset vrina, neque ludor, duo ex ijs inuolucris aberāt; sufficiebat vna mēbrana quæ reciperet venā, & arterias vmbilicales quibus fœtus alligaretur matri, & reciperet alimentū, & Spiritus à matre: esset quidem vmbilicalis vena à iecore pueri deducta ad vmbilicū vsq; quæ est via ad sanguinē matris venis deducendū; & vnica membrana ita esset valida, vt aliarū ope nō indigeret, essent etiā arteriæ iliaca: & probabile iudicāt nonnulli primā membranā chorion dictā defuturā, quia cum hæc sit irradiatio venarū, & arteriarum potuit fœtus immediatè esse vnitus in arterijs suis per arterias matris, & in vena vmbilicali sua per aliquam ex venis vteri: sicut fructus pediculo arbori inhærent. Pro existendi modo in vtero infantis Iesu an cū secundinis, aut sine illis, & an sine sordibus, plura meditatatur Suarez tom. 2. disp. 13. sect. 2. ipse tom. 1. disp. 34. sect. 1. ait *Christus vtriusq; status innocentiae, & gloriæ perfectionē assumpsit excepta corporis impossibilitate*, & sic plures Iesuitæ, in quibus subscribunt omnibus hæcenus dictis.

Atque hæc comprehenduntur pag. 17. 18. 19. 20. quæcumque obiecta sunt iudicialiter contra testium librum elucidarij



POSTULATA

Viximus, quod si in his, quae hactenus, sunt tantum in
 scriptis, et per litteras, modo ad nos veniant, ut sit per hoc
 tempus, quod est, compeditis, quia in diebus pluribus, quibus
 in hunc mundum ceteris, nos doceri volumus.

In hoc tempore, quod est, et ceteris, quae hactenus, sunt tantum in
 scriptis, et per litteras, modo ad nos veniant, ut sit per hoc
 tempus, quod est, compeditis, quia in diebus pluribus, quibus
 in hunc mundum ceteris, nos doceri volumus.

Haec conclusiones habebit in Matriti loco, anno
 1588, et diebus supra relatis, Doctor Mathias
 de Piles, & Escobar in perillustri, Tolocana
 Academia Primarius Medicinae Regens,
 & Sanctae Inquisitionis
 Medicus prior.



Propositiones

10

10



55



CAJA
2-8